

C A R M I N A

IN OBITVS PIENTISSIMOS
VIRORVM*Magnifici, Amplissimi & Clarissimi*
DNIIOSIAE MARCI SENIORIS
I&i celeberrimi;*Reuerentissimorum Saxoniae Ducum &c: Consiliarij quondam fide-
lissimi, & Vimaricensis Synedrj Praesidis vigilantissimi,*

PARENTIS;

ITEMQVE

Clarissimi atq; praestantissimi
DNISIGISMVNDI ANDRAEAE MARCI I. V.
Docteriandi

FILIE

Quorum ille, X XII X. April: Anno Ch 15 7 CIX
in CHRISTO placide lenae obdormiuit, & XXX
eiusd: in Aede sacra Collegij honorifice
sepultus;*Hic vero, postquam XVII. Septembr: Anno Ch 15 7 C. in vera
fide vitam cum morte ibidem commutauerat, XIX etatis:
ad pedes Parentis p. m. positus est.*

CONSCRIPTA

Honoris, amoris, observantia ergo

A
Fautoribus, Consanguineis atq; Adfinibus, & Amicis.

I E N A E.

Excudebat Salomon Richterhan. Anno 1600.

PIVM
BEATI PARENTIS
VOTVM

ἀναγραμματικὸς

In vita:

IOSIAS MARCVS SENIOR DOCTOR
O MORS O ADSIS, EN CVRIS IACTOR.

In morbo:

IOSIAS MARCVS DOCTOR
O CITO MORS ADSIS CVRA.

παραμυθητικὸς

ἔνυ ἀναγραμματισμῶς

In morte:

VIDI DOMINVM FACIE AD FACIEM
& salva facta est anima mea: Gen: 32.

O MORS O ADSIS, CVRIS EN IACTOR *acerbis.*
Non mihi mors, dulcis sed modo somnus eris:

O CITO MORS ADSIS CVRA *egrotumq; senemq;*
Grandævum; mortem nil metuo invalidam:

Ergo Terra vale, Aula vale, Salana valeo.

Coniux & soboles cara valete diu.

TE DOMINVM NON DIMITTAM MIHI NI BENEDICAS.
TECVM LVCTABOR, TE DVCE, VICTOR ERO:

A FACIE AD FACIEM DOMINVM VIDI: ET MEA SALVA
FACTA ANIMA: *En lucte digna brabea pie.*

Iulius Marcus mœstissimus

Filius, pij obsequij ergo Fe

CAR:

CARMINA IN OBITVM DOMINI
PARENTIS.



Væ tua cum morbis fuit & cum morte,
IOSIA,

Lucta; hæc cum magno lucta peracta
DEO est.

A FACIE AD FACIEM VIDISTI nempe IEHOVAM:

Iniecit tibi dum prævalidam ipse manum.

NUNC ANIMA (en) SALVATA TVA EST: nunc cul-
mine in alto

Coeli, victor ovans jubila læta canis.

Salve sancte senex, turbæ transcripte beatæ:

Et fruire aspectu colloquioq; DEI.

Elias Reafnerus Leorinus Medic.: Licent.

Pœfesor & Historiarum Professor Publi-

cus, tum temporis Rector Magnificus.

IOSIA nil maius erat, pietate secundus 2. Reg. 23.

Nulli, sincero corde Deum timuit.

Nomina conveniunt, quamvis diademate cinctus

Rex fuit is summus, mente manuq; potens,

Attamen in terris habuit nil charius unquam,

Sanctum divinæ quam pietatis opus:

Sic tibi IOSIA noster, Clarissime quondam

Iustitiæ Antistes, lingua animoq; valens,

Nil pietate prius, nil Religione sacrata

Posterius. VIRTUS MAGNA ETENIM PIETAS.

Hac duce, primagenas cum nondum barba tenellas

Signat, in Aonidum Musica castra venis.

At quos auctores virtutis nactus & artis?

Quæ capis ingenij quantaq; dona tui?

A


Oseculum

O seclum felix, quo contigit ante LVTHERI,
Atq; sedere tuos, sancte PHILIPPE, pedes.
Hos præceptores tu grata mente colebas,
Quod placuit coram sæpe referre mihi.
Postmodo Vindelicas inter celsissima tangis
Urbes, AVGVSTÆ moenia grata tibi.
SCHNEPFIUS istud iter, suavitq; STIGELIVS authoꝛ
Salanæ nostræ Lumina magna duo.
Inde ad ita est, pietate duce & comitante IÉHOVÀ,
Gallia clara viris. Gallia dives opum.
Quæ tot præstantes Iuris produxit in arte
Doctores, nostri lumina clara fori.
Quin & ad Euganeos colles, Patavinaq; tecta
Pergis, & Ausonij regna superba ducis.
Nec vanus sine fruge redis, sed maxima doctos
Cura audire tibi est, atq; videre viros.
Quos inter duros legum CORRASIUS ille
Solvendi nodos arte Magister erat,
Atq; DVARENVS tot scriptis clarus in orbe,
Ingenio magno iudicioq; valens.
Horum tu scriptis & doctus voce diserta,
Virtute & studijs præmia digna capis.
Contulit illa Scholâ FERRARA insignis & Aulâ,
O Legum vertex, te RIMINALDE duce.
Excipit hinc reducem te Patria honoribus auctum,
Ingenij & fructus excipit aula frequens.
Testis Saxonica est, testis Mansfeldica, testis
Cimbrica, Schvvarzburgæ testis & aula domus
Gvelphica quin testis, magnus cum IVLIVS olim,
IVLIADAE struxit splendida tecta Scholæ.
Inter tu primos, operis fundamenta tanti,
Non sine perperua laude & honore jacies.

Sed

Sed patria haud ingrata suum revocavit alumnum,
 Consilij & fidei dexteritate fruens,
 Donec ad extremae clarissima fata senectæ,
 Emeritum donat decrepitemq; rude.
 Tunc juvat in nostro, cuius pars magna, Lyceo,
 Ante fuit, vitæ claudere fata suæ.
 Vivit ubi sacros inter librosq; precesq;
 Continuo, & placidæ se parat usq; neci.
 Utq; Scholis vitam, & curas impenderat aulis,
 Aulicus in nostra sic cadit ille Schola
 Fortunate senex te jam tenet aula Tonantis,
 Angelicos inter sidereosq; choros
 Nam laudem pietas habet, & sua præmia magna,
 Et bene si vixit, non male quis moritur.

IACOBVS STINTIVS
 I. V. D.


*Labor & dolor est vita prope summa: beati
 Certa quibus superum munere paria quies.
 Nulla quies dum vita manet: redit actus in or-
 Assiduusq; labor perpetuusq; dolor. (bens)*

*Sola quies caelo, patrias ubi deniq; sedes
 Fata dabunt longe post mala tanta fuge.
 Nec saltem miserum premit hac fortuna popellum,
 Obruit & summos ista procella viros.
 Quis tibi par unquam virtute vel arte, IOSIA,
 Quis par eloquio, pro meritisq; fuit?
 Si qua relicta fides terris, cum pulsa recessit
 Astræa ad Superos, si qua relicta fides:
 Ille tuos semper coluit secunda penates,
 Ex patrocinio restitit usa tuo.*

A 3

Gallia

Gallia te vidit per Iuris amena vagantem
 Tesqua; laboriferas quarere mentis opes.
 Contulit optatos Oenotria laudis honores
 Eridanus patulos qua rigat annis agros.
 Ut verò patrias reducem refecit adoras
 Qui sortes hominum digeris ipse Deum:
 Mox operam petiere tuam Comitesq; Ducesq;
 Auxilio freti consilioq; tuo.
 Te Iena laqueos juris solvente, canoris
 Salaides Musa persrepuere modis.
 Iam tibi contulerat, vitam quacumq; beatam
 Efficiunt, largo sors moderata sinu.
 Et tamen interea varij tua vita laboris
 Plena, cathenati plena doloris erat.
 Te cura minuire graves, te curva senectus
 Et medicam superans tum quoq; morbus opem.
 Hec mala fregisti pietate, fideq; nec ipsa
 Mors animos potuit debilitare tuos.
 Nunc igitur Coeli Capitolia celsa triumphans
 Scandis, & aeternae tempora pacis agis.
 Et labor & dolor est vix propè summa: beati
 Certa quibus Superum munare parva quies.

M. Wolfgangus Heider Ethices
 & Logices Professor publicus.

INCENSVM DOMINI IOSIAS denotat: an non
 Iure hoc defunctus nomen adeptus erat?
 Scilicet INCENSVM DOMINI splendebat, ut almis
 Tinctus Salvifici fluminis esset aquis.

Hi:

Hic cor amore pio cœpit flagrare IEHOVAE.
Cœpit & in DOMINVM spesq; fidesq; suam.
Nec mora: mox teneris sacra hæc incendia ab annis
Crescere, multoties viribus aucta novis.
Hinc DOMINVM impensè juvenili ætate fovere, &
Laudi eius studium quodq; dicare suum.
Vsq; adeo haud abit incassum pia cura Parentum,
Et qui publicitus corda tenella regunt:
Vtraq; si fundat pars vota precesq; Juventusq;
Officij expediat debita pensa sui.
Ast ubi eum firmata Virum iam fecerat ætas,
Hei quantus sacri Numinis ardor erat?
Non hunc ambitio; populi favor; ira potentum;
Ampliarumve famés turpis adegit opum;
Non aliæ illecebræ, ut vel latum cederet unguem
Framite de Recti, Veri & amore DEI:
Quoslibet at contra scopulos, obstacula contra
Quævis, in cœptâ mansit is usq; viâ.
Et quia magnorum molimina grandia rerum
Illius Almi humeris imposuere DVCES,
Hic scopus unus erat tua gloria, CHRISTE; Ducumq;
Commoda, quin Patriæ non peritura salus.
Nec vero is viguit modò, cum fortuna faveret,
Aspera verum etiam cum pateretur, Amor.
Hic etenim, hic excrescebant incendia tantum,
Ut vix quid posset, præter amare DEVM.
Tandem ubi confectus senio ferie atq; laborum
Immensa, & morbi vi superatus erat,
Et jam debebat dulcem Auram reddere CHRISTO,
Fine excepturus fata suprema pio:
O quoties IESV bone TE prece suspiravit?
O quoties: Ad TE detur abire: petit:

NE

Nil certè CHRISTVM præter, nil præter IESVM
Optavit, cecinit, pectore & ore senex.
Crediderim, totum hic te possedisse, Redemptor,
Cor senis, & totum vivido amore tui
Incendisse, senis totumq; cor esse liquatum
Igneo amore tui, flammeo amore tui.
At Tu, qui gestis tui amantes foenore largo
Dotare & variis accumulare bonis,
Præmia nostro etiam Defuncto augusta tulisti,
Quæ sunt non ullo deperitura die.
Non modò nam vitam multos produxit in annos
Vitam, quæ laudis plena & honoris erat:
Ast etiam è cunctis ereptus morte periclis
In coelis tecum gaudia summa capit.
Discite mortales CHRISTVM, non vosmet amare:
Hunc servatur amans; se qui amat, ille perit.

Pietatis, observantia & gratitudinis ergo F.

M. Nicolaus Rhostius, Ecclesie
Genensis Diaconus.

CYGNEA CANTIONE

CONIVNX ET PARENS

Postquam ætatis iam annum 75. supergressus
fuisset in agone mortis constitutus, alloquitur
per ἰδορυίαν.

CONIVGEM ET LIBEROS MOESTISSIMOS.

Huc queso, huc Patris ad morientis adeste cubile,
Huc nata & nati, cum Genitrice, mei.

Absolvè

Absolvi cursum, superest mors ultima meta.
Visendum in caelis iam politenima meum.
Ergo vale dicens prius omnibus, alloquij vos
Supremi memores perpetuo esse volo:
Ne nimium indulge lachrymis, charissima coniunx,
Si viduare viro, non viduata DEO es.
Hic iudex vidua, pater orbis restat in orbe,
Ex illo tua spes pendeat, atq; salus:
Huic totam te dede, tuas huic inijce curas,
Religiosa domum mater, ut ante, rege.
Natorum iuva precibus studiosa labores,
Sape preces pretio plus valere pijs.
Vos vero pulcro dilecti ex ordine nati,
Morigeri ad seros hanc relevate dies.
Quaę, parens juveni ante obitum praecepta Tobias
Tradidit, hac vobis tradita rite volo.
Inst adio studioq; meo iam curritis, athlon
Gloriole patrie quisq; videre, ferat.
Fraternos retinete animos, ne turpis Alecto
Pectora disidijs litigiosa trahat.
Hec reminiscimini, haec mihi nunc promittite dextris:
Vos pietas, domini dirigat atq; timor.
Tu dein Natarum, Charitas virtutibus equa,
Quas aequas numero, nominibusq; trias.
ANNA, tibiq; viroq; tuo bona gratia lova
Annuat, ethereo plena favore mane.
Despice, quò placeas sponso, CATHARINULA, Christo,
Has mundi phaleras, carnis & illecebras.
Et blandire Deo, BLANDINA, timore si deq;
Huic uni, haud homini complacuisse, sat est.
Mutua quin omnes benefacta rependite matri,
Huic date, quod vobis vultis ab ethre dari.

B

Sed

*Sed quorsum? memori hæc sub corde recondita dictas
Momento hoc instat, sentio, æoris agon.
Nunc, nunc, Christe, tuum dimitte in pace ministrum,
De facie ad faciem qui mihi visus, ades.
Commissumq; tuis manibus nunc suscipe pneuma,
Claudite vos oculos, pignora chara, meos.
Te suspiro, CHRISTE, accepta animam, obDORMISCO.*

EIVLATVS FAMILIÆ:

*Hei, Pater, hos nostra
Curras, equesq; domus.*

CHORVS

Cœlestis arcis alites
Nostri Dei satellites,
Credientium ἀστυγικὴ
Hic commoramur πνεύματα,
Obdormientis Spiritum
Assumimusq; vt in finem
Patris vehatur Abrahæ,
Hæres domus olympicæ.
Quid autem amarioribus
Patrem dolete fletibus
IOSIA, IVLI, pectora
SIGMVNDE ADOLPHE, adelpheicæ
Huius vias infistite,
Hunc impigricito pede
Laboris æmulamini,
Virtutis immitamini.
Sic ille vestris moribus
Reduxq; vivet oribus.

Sic nostram opem tenebitis,
Olim Patri assidebitis.

Terrena vos nunc terrei
Tradetis ossa funeri,
At coelicum nos coelici
Flatum inuehamus ætheri.

Dum Christus illa mutuo
Recolliget die ultimo.
Vos interim tutabimur,
DEVSq; consolabitur.

EPIGRAMMA

In piè defunctum binominem.

Nequis conetur defuncti dicere laudes,
Nil nisi IOSIAS, nil nisi MARCVS erat.

Non Rex ille quidem, aut Evangelio graphus ille,
Neutrius titulos gessit & officium:

Attamen emicuit, pro sensu nominis, IGNIS
In pietate DEI MASCVLVS inq; CRUCE.

Vel si Iudaicè fontes vtrumq; relatum
Nomen ad Ebraeos explicuisse velis:

Sanguine PURGATVS Christi, studijsq; POLITVS,
INCENSVM DOMINI seu thymiama fuit.

IOSIAS iurvit Iosæ principis acta,
MARCVS in historijs consenuitq; sacris.

Illud diversis Princeps testatur in aulis,
Schunari Burgus Saxo, Guelphus & Holfatius:

Hoc Evangelici veneranda Synedria cætus,
Quis sapido Oenagora præsuit ore Senex.

B 2

Erge

*Ergo DEI IGNE calens, ad versa & MASCVLVS aura
Ante hominem sat habet laudis, & ante DEVM.*

M. Iohannes Mylius Diaconus
Schleusingensis.

NÆNIA

Publici luctus ergo scripta.

Icluta quem toties Academia, quemq; Dynasta
Saxonici attonitis obstupere modis;
Qui Themidis sacra decus & lux maxima juris
Et Consultorum qui Coryphæus erat;
Hunc hodiè fera ferali Libitinà grabato
Excipit, ut cedat vermibus esca opicis.
Hei miseros homines! nostrum quæ meta laborum,
Quis finis vitæ? Pulvis & umbra fumus
Hei ubi Samson? ubi Salomon? ubi magnus Abra-
Hei ubi Lamechides? occubere simul. (mus?
Hei ubi Pompeij, Fabij, magniq; Camilli?
Hei ubi sunt, ubi sunt? occubere simul.
Occubuere, obiere, abiere, omnesq; migrare.
Quare? nati homines qui morerentur erant.
Ibimus huc omnes, huc primus & ultimus ordo,
Huc & IOSIAS iuit, obitq; diem.
Iuit obitq; diem fatali lege modoq;
Quare? natus homo qui moreretur erat.
Denatus verò nunc est, ut sede receptus
Aetherea, vitæ participaret opes.
Arguit hoc pietas, sanctorum Regula morum,
Arguit in Christum non dubiosa fides.
O obitus felix, o non violenta tyrannis
Mortæ, quæ prodest, quando nocere cupit!

Cætera

Cætera morte quidem pereunt, sed morte perire,
Nescit homo. Vitam mors benè sola dabit.

à M. Iacobo Rosefeldo. P. L.

IN TUMVLVM

MAGNIFICI VIRI DOMINI

IOSIAE MARCI ICT:

IOSIAE heic tumulus MARCI: Scit cætera Saxo,
Guelphus, & Holsatia, quem colit ora diu em.

M. Mauricius Schröter.

Quam subito tristes sors impluit atra querelas,
Quam subito moritur qui modo vivus erat?

Crediderim Parcis tantam esse triformibus iram,

Ut dent sævitia fila resecta pari?

Communiq; rigore bonoq; maloq; trucident?

Ah doctis nescit parcere Parca viris?

IOSIAE exequias qui consultissimus vnus,

Cernimus heu mœstis funera mœsta modis?

IOSIAE, Salici qui fama decusq; Lycei,

Qui fuit & meritis & pietate gravis,

IOSIAE Themidis qui vindex acer & æqui,

Qualis Aristides Fabriciusq; fuit,

IOSIAE, cuius domus oracla aurea multis

Ex tripode Eunomiæ suspicienda dedit,

IOSIAE, cuius spississima turba Dynastum

Causidicas solita est conceleberrare fores,

Ipsa valetudo quamvis infirmior esset,

Romulidum Quinctus Scævola qualis erat

IOSIAE tanti ecce viri (nos ecquid homilli

Speremus) deflet funus & ipsa Themis.

B 3

Ipse

Ipse ego, si quid ego, mœstorum præfida versu,
 Tristem obitumq; gemo, Lœtum abitumq; cario:
 Tristem obitum: Quod tota viro Respublica tanto
 Despoliata, parem vix habitura dolet,
 Lœtum abitum: Superum quòd transmigravit O-
 Et fruitur facie colloquioq; DEL. (lympum,
 Et VOS, IOSIADAE patriæ indolis aurea proles
 Flebitis æternis patria fata genis?
 Flebitis alato FIDEL qui remige sanctas
 Ad cœli sedes velificavit humo?
 Flebitis alatum quem secula nulla filebunt?
 Quem perpes niveis fama perennat equis?
 Flebitis, æternis qui surgit honoribus auctus?
 Vivit & astra super, vivit & orbe super?

*Ad contestandum supra dicitur
 Adamus V Wilhelmus Michaëlis Strauß
 Icti & Cancellarij Meinun-
 gensis Fil. F.*

EN iterū largos oculis effundere fletus,
 Et mœsto questus promere corde iuvat.
 Flete Patres, Cives, & tu Studioſa Iuventus,
 Et mecum luctus, reddite signa, novi.
 Namq; excellentem virtute, atq; arte decora
 (Delicium nostrum) sustulit atra dies &
 Sustulit atra dies nulli virtute secundum,
 Quem repetunt votis curia & Aula suis.

ergo

Occidit heu Doct̃or toto clarissimus orbe,
Qui vite longo tempore dignus erat.
Ergo sic nulli parcis mors improba? nulle
Præstanti Studijs, ingenioq; viro?
O mors quanta tua est rabies, & quanta tyrannis?
Quam falce immitti corpora cuncta metis?
Sed quid ego mortem culpo? mors ultima rerum est
Linea, & est cunctis certa medela malis:
Mors omnes pellit morbos, tollitq; dolores,
Quos medicis herbis tollere nemo potest:
Mors levat & sanctos ærumnis sæpe futuris,
Quos hominum generi mittere Iova parat.
O nimium felix MARCE ô clarissime Doct̃or,
Qui jam morte, DEO sic statuente, cadis.
Te DEVS eripuit mundo, ne bella videres
Tristia, quæ nobis improba turba movet:
Nunc mala nulla tibi, tibi nulla pericla timenda,
Te vacuum curis terra cubile tenet.
Nos verò interea lacrymarum in valle vagantes
Exilia, ærumna crebraq; bella premunt.
Has tibi sit tristes satis effudisse querelas,
Et manes lacrymis condecorasse tuos:
Tu verò placidè nunc sub tellure quiesce,
Et salve æternum perpetuumq; Vale.

Fridericus Bergerus Gorlicæ
Lusat: scribebat.





PIVM

BEATI FRATRIS

VOTVM

εὐαγγελματικόν

SIGIMVNDVS ANDREIAS MARCVS IN IVRE
DOCTORANDVS:

SI CVRAS ANIMO DAT MVNDVS, CONER
INIRE SIDVS GRADV.

SICVRAS, ANIMO DAT MVNDVS, CONER INIRE

SIDVS felici, Te duce Chrifte, GRADV:

Mundus enim immundus fors immundum quoq; mundum

Me faciet, mundum mundus habere nequit:

In mundo regnant scelera omnia, frausq; dolusq;

In mundo gestit vir malus esse bonus:

Ergo GRADV SIDVS nunc CONER INIRE, ANIMO DAT

ISMVNDVS CVRAS: Munde maligne vale;

NAM QVE TENENS DOMINVM NIL CVRO POLVM QVE
SOLVM QVE,

TV LICET EXSPIREM, SPES MIHI PARS QVE DEVS.

Iulius Marcus

πῖα φιλαδελφίας ἔνικε

mœstus Frater.



CARMINA IN OBITVM DOMINI
FILII

ET SIGSMVNDE boni, proh, optime Nate
Te sic ante diem Parca maligna rapit? Parentis,
Nec tua te pietas; nec flos juvenilis; & ætas
Expers dedecoris & sine labe iuvat?
Exhausti studiis nec rot sine fine labores.
Debilitata quibus fractaq; membra reor.
Nec Matris pia cura tuæ, vel grandior ætas?
Cuius sperabat Te fore nunc columen:
Nec sincerus amor Fratrum, vel fida Sororum
Corda, vel hos præter si quis Amicus erat?
O mala Parca bonis quæ nunquam parcere nosti,
Optima sed manibus carpis iniqua tuis.
Iam prope tempus erat, tua circum tempora Laurus
Quo cingenda fuit, quo tribuendus honos,
Quem pridem meritis fueras, quem diu Themistys
Decrêrat, votis & schola nostra suis.
O spes fallaces hominum, & vota irrita, quam non
Respondent cœptis vltima sepe bonis?
Ast ita cum visum Superis, parere necesse est,
Vnius in nutu est fors sita nostra Dei.
Te manet æternum decus, & tibi parta Corona est,
Quam Designator contulit ipse DEVS.

Jacobus Stintius

I. V. D.

avroxeiasii

Quis putet? Et Gnatus, quæ nomina irina gerebat,
Cumne felici hæc omnia nactus erat.

G

Atq;

Atq; ea cuncta quidem à VINCENTO petita: VTR istis
 Nempe statuturus lata trophaea fuit.
 Es verè statuit. Pietati namq; sacra
 Et qua Virtuti ob plurima stare solent,
 Non hæc defuncti viceruntpectus honestum,
 Non hæc conatus impediere pios:
 Sed quasvis contra illecebras audentior itit,
 Atq; animis celsis omnia diva tulit.
 Hinc jam DOCTORIS; titulos & nomina vidit
 Prae foribus, placitis ò Themis Alma tuis:
 At mors immitem gestat qua tergoe falcem
 Omnibus, invidit, Clare Vir, ista tibi:
 Nec tamen iccirco lato spoliare trophaeo,
 Quamvis optatum concidis ante Gradum:
 Sed mage, jacturam quia spernis fortiter istam,
 Insuper & mortem fidei ad usq; Deo,
 En tibi splendidius vincenti premia longè,
 Iam nunc contribuit splendidiora Polus:
 Scilicet eterna non marcescentia vite
 Serta, & divina munera leticie.
 Hæc cape SIGSMVNDE; his ANDREA ò utere; Honoris
 His COELI DOCTOR MARCE beate vige.

Quondam Discipulo suo deside-
 ratissimo mœstus ponebat
 M. Nicolaus Rhostius Ecclesie
 Genensis Diaconus.

Siccine MARCORVM, pie MARCE, binominis hæc
 Virtute ANDREA, spe SIGEMVNDE jaces? (res)
 Siccine MARCE, jaces, fide inexpugnabilis heros
 In Martis medio & Mortis agone, tuæ?

Quis

Quis tamen haud ita pridem excellens juris & artis

Edideras specimen corde sagace tuæ.

Dum te enodantem leges, & rite docentem

Audiit & stupuit Pallas & alma Venus.

Contestimq; tibi jam jam gestanda, paravit

Laureolæ fronti frondea ferta tuæ.

Hinc ubi transmissas nuper tui honoris ocellis

Aspicerem gratis, nuncia signa, theses:

Dicebam tacitè mecum: Patris ille ruinam

Supplebit, matris leniet ille malum.

Hic veris cœlo se laudibus inferet olim,

Quin, generis fuerit flos columenq; sui.

Iam datur exoptata dies, gratabor amico,

Gratabor titulos linguâ animoq; novos.

Dum vix hæc licuit meditari, intervenit ægris

Mœrentem faciem litera pulla notis.

Litera, ubi trepidus recludo, heu nuncia mortis,

Hei præmaturæ, mascule Marce, tuæ.

Sic spes conceptas momentum temporis aufert,

Oh quantum infelix vna vel hora bonum?

Sed quid? ab ingrato te sustulit orbe Iehova,

Ingenio dignus non fuit ille tuo.

Non suffecissent mundana brabea, Decanum

Solerti juveni quæ soluisse decet.

Tu CRVCIGER FRATER devoto ex ordine Christi,

Cum Christo in cœlo præmia justa capis.

Immarscescibilem hic imponit lova coronam,

Et capiti mitram, pro pietate, rubram.

Sua viat, atq; fovet te dulcis IESVS in vlnis,

Explicat & vitæ te sibi sponte librum.

Æterni digitus Patris spirabile Numen

Chrysolito digitos induit ipse tuos.

C2

Tecq;

Teq; Sacrosanctæ Triados per nomina cœli
 Doctorem creat, & promovet, atq; facit.
 Promotum, factumq; poli proclamat in aula,
 Angelici applaudunt millia multa chori.
 Has ego nunc laudes, hos jam tibi grator honores;
 Salve stelligero Doctor in axe mihi.
 Exuvias animæ sacra terra Parentis ad imos
 Depositas seruat more decente pedes.
 Clásica quando canent stellatus coelituum grex;
 Exurget soboles cum patre juncta tapho.
 Cum patre juncta simul coelum ingredietur, ibiq;
 Laudabit Trinum cum patre juncta DEVM.
 O fausta, ô sociæ commercia dulcia vitæ,
 Polluet hæc labes nulla, vel vlla lues.
 O fausta, ô sociæ commercia dulcia vitæ,
 Finiet hæc rabes nulla, vel vlla dies.
 Istuc incolumes quæso nos Christe reserva,
 Per Turcæ furias, insidiasq; Papæ:
 Per Calvinicolæ casses vel retia arachnes,
 Quæ nunc Venator tendit vbiq; Stygis.
 Erige collapsos, comes errantesq; require,
 Sub cruce depressis auxiliare piis.
 Qui salvo incedunt pede, fortiter auspice Flatu
 Protege, ne in mundo tesqua per aspra ruant.
 Ut commercia tum veniamus ad illa beata
 Cum MARCIS sociâ mutua turba fide.

M. Iohannes Mylius Diaconus
 Schleusingensis supremi
 honoris ergo scripsit.

In Tumu-

IN TVMVLVM

Clariss: Viri Iuuenis Dn.

SIGEMVNDI ANDREAE MARCI. I. V.
Doctorandi.

H *Ac jacet ANDREAS SIGEMVNDVS MARCVS in urnâ.
Non tenuit lachrymas hoc moriente THEMIS.*

M. Mauricius Schröter.

DEFVNCTI FRATRIBVS

AE QVAM MENTEM

IOANN: FABRICIVS ROSTOCHINVS
P. L.

A H desiderio sit pudor ac modus
tam cari capitis: mittite lugubreis
cantus, astri potens cui placitum Pater
cessit codice cum sacro.

Non fratrem exanimem perpetuus sopor
vrget, cui Pudor, & Iustitiæ comes
incorrupta Fides, nudaq; Veritas
vix ullum inveniet parem.

Multis ille bonis flebilis occidit:
nullis flebilior, vestrae animæ ac, piæ
et matri: ast rediet lucis in inclutas
auras, viuificâ diæ.

Quod!

Quòd si Thariadè moestius entheò
fratrem fleveritis gaudia maxumis,
non vanæ redeat sanguis imagini
(quam ferro se mel horridò
non lenis precibus fata recludere
mors demsit tetrica huic) ante diem ultimam.
Duretis. LEVIVS FIT PATIENTIA
QVIDQVID CORRIGERE EST NEFAS.

ERgo nulla fides vitæ? vix vivida vivis
Vita abit, & nulla est spes, mage fida viris?
Ergo SIGISMVNDE ANDREA tibi perfida MARCE
Spes fuit, & puncto pervia vita brevi?
Non aum ætatis apex; immò vix cognita quinç;
Lustra tibi, & rapida febre per uste jaces.
O spes hospes inops, vita ô malè fida, reponens
Pro fructu luctum, pro thalamo tumulum:
Cum fructu dignus, thalamo cum dignior esses,
LAVRVS cum MYRTO cum tibi danda foret:
Nam rude donati Patris vestigia calcans,
Astræam & Musas usq; secutus eras.
Quâ juga SEMANAE spectat SILVIA sylvæ:
Quâ jacet ad NICRI culta TVBINGA vadum:
Quâ videt illustri TEVTO celebrata DONELLO,
Norica arenoso fructa Lycea solo:
Deniq; qua montes inter SALA garrula IENAM
Alluit, & Patri sunt data busta tuo.
Et, siquidem hîc studijs colophonem imponere tan
Mens erat, & lapsas Patris obire vices: (dem
Censuram expertus justam prius indolis altæ
Publica REVSNERO præside signa dabas.
Iamq; rubra in templo mitrâ decorandus, & illic
Voce salutandus præpete DOCTOR eras.

Hoc

Hoc tibi *Musa*, *Themis*, *Pietas*, *Prudentia*, *Candor*
Debuerant dudum nobile ferre decus.
Hoc tamen invidit tibi nescia parcere *Parca*,
Et tua depascens languida membra *FEBRIS*;
Quam patiente lubens animo, & victrice tulisti
Pectore: quod cedro vox tua digna docet:
Quod *CRVCIS*, aiebas, sum pondere pressus, id omne
Fit *DVCIS* exemplo, qui tulit ante *CRVCEM*.
Si tulit ille *CRVCEM*, quo sub *DVCE* milito miles:
Num *CHRISTO* melior, num *DVCE* major ero?
Quin *DVCIS* illius comes & *CRVCIS* assecla fiam;
Si meus hic *DVX* est, *CRVX* mihi nulla nocet.
Da *DVX CHRISTE CRVCEM* vincam, victorq; triumphē:
Dictum erat: actutum Mors iubet ire crucem
O felix mortis genus, o bona clausula vitæ:
Coelum, qui vitam tam bene claudit, adit:
Quod quin possideas, nullus dubita vero, quamvis
Corpus inane soli jam requiescat onus.
Hoc animæ excitum rursus sociabitur olim,
Cum dabit Angelica buccina voce sonum.
Salve igitur *CHRISTI CRVCIGER* sanctissime, salve,
Et bene, confestim sed redivive, Vale.
Interea vt nostri breve symbolon extet amoris,
Inscribam tumulo verba suprema tuo:
Ossa *SIGISMVNDI ANDREAE* cognomine *MARCI*
Urna habet hæc, animam jam tenet aula Poli.
IOSIAE hic Patris solers fuit æmulus, ingens
Matris amor, Fratrum flos, columenq; domus.
Illi ferta *THEMIS* iam dum properârat, at illi
In cœlo *CHRISTVS* ferta gerenda dedit.
O felix illis velatus tempora fertis:
Serta, *CRVCEM CHRISTI* qui feret, illa geret.
Paulus Cellarius Muner-
stadius Fr: fac:

Si

SI qua prius iusti fuit unquam causa doloris,
 Ut faceres querulos nostra THALIA sonos.
Hæc erit atra dies nigro carbone notanda,
 Mæstitiam pleno nam vehit illa sinu.
Heu heu fors quam nunc nos urget iniqua dolore?
 Quam duri cruciant tempora nostra dies?
Quæ præceps agitat vestram vesania mentem
 Atropos & Clotho? quid furor iste sibi?
Invida Parca iuvat quid te rapuisse caducos
 Vivere perpetuo quos pia fama cupit?
Nam si parcendis consistit gloria rebus
 Pessima, cur non hic parcere Parca potes?
Te, MARCE, Aonidum Tritonia Pallas amabat,
 Te cupiens studijs excoluisse suis.
Et quia crescebas, Musarum dotibus auctus,
 Nectebat capiti laurea serua tuo.
Ut studijs pariter, pariter crescentibus annis
 Eximij posses nomen habere Viri.
Et patrie decus esse tua, matrisq; voluptas,
 Cui quoq; dilectum Fata tulere Virum:
Digna igitur fuerat tua mens melioribus annis,
 Longæva præstant & tua vita die.
Sed quos multarum beati experientia rerum,
 Quævis & Apollo suam donat habere, Chelym,
Ipsos seu tardas reddat veneranda senectus,
 Magnanimos ornet seu juvenile decus;
Hos contra torquet sua spicula terribilis Mors,
 Immiti interimens obvia quæq; manu.
Quod quia sic Superis visum est, contendere contra
 Viribus aut votis, ducimus esse nefas.

Cum

*Cum tibi vera quies & inexsaturata voluptas
Non intermissis parta comesq; bonis.
Angelicis mixtus choris caelestibus explet
Delicijs animi gaudia diatini.*

Victorinus Gruner
— Stud: F.

FLos juvenum, juvenumq; decus, Themidisq; facel-
Nec minor Eximio NATE future PATRE (lum
ANDREA SIGEMVNDE jaces? heu maxima inani
Cuncta hominum bona Spe, Re vapor, Umbra, ni-
Anquidquam certi sibi quis promittat? ad ipsam (hil!
Frustratur metam credula spes animos,
Spissius ut figat telum dolor; irrita quando
Sic citius dicto cura laborq; cadunt.
Agricolam, in primis cererem si perdidit herbis,
Pondere mœrorum melsis acerba levat,
Ast ubi flavescentes Iovis ira exussit aristas
Iam matura, magis, melsis opima coquit.
Bruma velox rapiat si pendula multa racemis,
Vinitor, creptam spemq; merumq; simul
Anxia corda quatit magis, ac si frigore sero
Gemma rubens tenero palmite læsa foret.
Enthea vis genij tua quæ fastigia honorum
Monstravit, sollers, prendere cura dedit.
Et modo maturos potuisti carpere fructus
Parca sed ah properâ hos occupat ante manu.
Quò tibi nunc studium? vigilatæ quò tibi noctes?
Num minus ergo tibi solvimus exequias?
Aemula quò cupidis scandens tua gloria plantis
Dis similes tangunt qua capite astra viri.

D

Hoc

Hoc nocuit certè invidiæ fuit æmula virtus
 Quam numero invidiam quod capit omne perit!
 Ergo Te meritò ætatem lugendo laborant
 Germani, & Genetrix mœsta; triplexq; soror.
 Piis quorum lachrimis lachrimas IENA miscet ama-
 Atq; Schola, in luctus officiosa tuos. Cras
 Mi mea sic jugi, dudum luctata dolore
 In gemitus ultra vox viam anhela negat.
 Cesso igitur cesso. Fœlix Tu serâ parata
 Nunc anima, æternis i cape certa locis.

Andreas Ellingerus. Ec

Miramur Fatum, medio quod flore vigentes
 Exturbet, seclisq; velut iam vivere fessum:
 Miramur Fatum, Themidis quod lumina rapta,
 Quæ multam poterant patriæ prodesse saluti,
 Et quorum virtus lucrorum plurima suavit;
 Cum tamen interea Thebano sidere natis
 Parcant (indignum) Parca, & tot pondera terra
 Quæis sordet virtus, Epicuri vita probatur,
 Incommissa, intacta sinant. Res mira fatemur
 At non mira nimis, cum subsit causa, sacratis
 Quam pagella dabit reclusa è fontibus haustam.
 Non etenim pereunt Fato statuente, IEHOVA
 Sed statuente. Poli sic aurea tecta sabintrant,
 Quò sint & ut æquæ, fuerant quia portio divis
 Grata, quibus radians patria & certissima Olympus,
 Hinc est quod properent immundo cedere Mundo.
 Et magis, ceu felix subito qui littora tangit,
 Acri quantumvis jactata est turbine puppis:
 Sic magis est felix properans quem cymba Charontis

Tot

Tot mundi turbis, tot sevis atq; procellis
Ereptum, Elysias citius traducit ad oras.
Ergo modus lachrymis esto, ne forte videvā
Quis possit dulcem fratri invidisse quietem:
Gratemur potius sanctorum sede recepto
Aeternaq; Poli nunc prosperitate fruenti.

David Doringk Cicensis
LL. Stud.

Q Vòd nihil humanis quidquam durable rebus,
Testatur funus pro, pie MARCE, tuum.
Dum spectabaris florens juvenilibus annis,
Heu mors falce sua te necat atq; rapit.
Vix vbi letari inciperes post tristia multa,
Laudibus eximiis & super astra vehi:
En Lethum: invidit summi fastigia honoris,
Ac inopinata Te nece surripuit.
Ast ego MARCE bona spe DOCTORANDE trahebar
Me vsurum vestro ritè patrociniò.
Ultima jam mihi te SIGSMUNDVM sustulit hora,
Ne studiis esses portus & aura meis;
Hinc ego mente jacens vehementi saucior ictu,
Et mea sollicitus pectora mœror habet.
Interea invideo minimè tibi gaudia, Coeli
Stellantis quæ nunc in regione capis.
Gratulor at sortem mage toto pectore summam,
Quam tibi quam toties IPSE precatus eras.

Georgius Rhostius Vinariensis
Tyrigeta pie observan-
tia ergo s.

FINIS.

A 2490

ULB Halle
003 485 986


3




sb

kom







LXXIII

72

CARMINA IN OBITVS PIENTISSIMOS VIRORVVM

*Magnifici, Amplissimi & Clarissimi
DNI*

IOSIAE MARCI SENIORIS
I&i celeberrimi;

*Illustriſſimorum Saxoniae Ducum &c: Conſiliarij quondam fide
liſſimi, & Vinarieſis Synedrj Praſidis vigilantiffimi,*

PARENTIS;

ITEMQVE

*Clariffimi atq; preſtantiffimi
DNI*

SIGISMVNDI ANDRAE MARCI I. V.
Docteri

FILIE

Quorum ille, X XII X. April: Anno Clj 157 CIX
in CHRISTO placidè lenæ obdormivit, & XXX
eiꝛſd: in Aede ſacra Collegij honorifice
ſepultus;

*Hic verò, poſtquam XVII. Septemb: Anno Clj 157 C. in vera
ſide vitam cum morte ibidem commutaverat, XIX etate:
ad pedes Parentis p. m. poſitus eſt.*

CONSCRIPTA

Honoris, amoris, obſervantia ergo

Fautoribus, Conſanguineis atq; Adſinibus, & Amicis.

I E N A E.

Excudebat Salomon Richterhan. Anno 1600.